Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1073
Quelle:
Copyright:

(aeternitatis?) *speciosa conditio, cum Dilectione uestra fuisse felicem* (per Chr. D. N.) *qui uiuit et regnat una cum* (Patre et) *Spiritu sancto Deus per omnia secula seculorum amen.* Si plures *Petronii* Sermones in Codice reperissem, eandem illis navassem operam, quam repertis aliquot abhinc annis *Augustini* Sermonibus.

Inter ceteros porro Codicis Sermones plures perperam Autoribus, quos praeferunt, inscripti sunt. Sermo *Dom. in Paimas* plane duos praefert, *Maximum* et *Augustinum;* est vero *Maximi*, ut Edit. *Rom.* 1784. *col.* 137. f. Fer. V. *in Coena Dom.* et *Parasceve* Homiliis praemissae sunt *Lamentationes Jeremiae* superpositis accentibus muficis. Homilia *Sabbato Sancto* Autore caret, et incipit: *Uideamus fratres karissimi de dominico corpore* &c. Est igitur ejusdem *Maximi*, sed omisso toto principio, ut conferenti Edit. *cit. col.* 280. patebit. Non idem adfirmare possum de Homilia sequente, cujus titulus nullus, initium vero: *Domini Nostri Ihesu Christi Salvatoris honorabilem sollemnitatem diuina fauente clementia fratres karissimi fideliter ueneremur* &c. quando tamen habita fuerit, liquet e sequentibus: *Expergefacti itaque libenter de somno inertię surgamus, & noctem hanc sanctam paschę lętanter ducamus* &c. post quae Autor de *Fermento malitiae* et *Azymis sinceritatis* commentatur. Terminat hunc Codicem peculiari discussione dignum Epistola *Hieronymi* ad *Paulinum* de omnibus s. Scripturae Libris, quae Bibliis passim praefigi solet: *Frater Ambrosius tua munuscula* &c. Posteriora haec manu Sec. XII. uti et *pag. ult.* Fragmentum Literae Apostolicae, quod incipit: *Salzburgen. Audito et intellecto illo enormi facto, quod est adversum te — attemptatum* &c. Factum non exprimitur, sed apostolica auctoritate cassatur, directis etiam ad *C. Maguntinum Archiepiscopum* literis. Quo ista pertineant, inter plura ejus aevi Praesulum *Salisburg.* cum Imperatoribus dissidia non facile dictu sit.

CCCCXLVIII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 153. f. min. luculente, non tamen una manu scriptus et rubricis distinctus est *Homiliarium* pro Jejunii verni tempore a Dominica in Septuagesima perductum ad diem Parasceves. Patres, quorum Sermones hic habentur, sequentes sunt: *Gregorius* M. *Augustinus*, *Ambrosius*, *Petronius Veron. Leo*, *Maximus*, *Johannes Chrysost. Hieronymus*, *Beda*, totaque Collectio Ἀπογραφον est Codicis Sec. XI. supra recensiti, sed, ut fieri amat, erroribus calami auctis potius, quam imminutis. Praemissae sunt *foliis 3.* aliquae Lectiones e *Beda*, *Augustino*, *Origene*, *Ambrosio*, *Leone*, ut praeferunt, manu Sec. XV. depromtae, sed, ut in his, ita et in toto corpore non paucae a saniore Crisi deinceps rejectae. Ad calcem Librarius: R. 3327